

cessionem tradicionem et datum, de omnibus et singulis suis et predictorum quorum procurator est et cuiusque eorum rationibus iuribus et actionibus realibus et personalibus utilibus mixtis et directis; quas et que ipse et predicti omnes et quilibet ipsorum habet et habent, vel quomodolibet eis vel alicui eorum pertinent vel pertinere possent, contra et adversus dictum condam ser Marcum Baseio et eius heredes et bona, et contra quoscumque alios et eorum heredes et bona, qui tenerentur vel teneri viderentur nomine et occasione dicte derobationis et damni illati tam in nave quam pecunia, rebus et arnexiis dicti quondam domini Jacobi de Fontana: de quibus in instrumento dictarum represaliarum ac aliis instrumentis, particularis fit mentio et damnorum expensarum et interesse pro quibus concessae fuerunt contra comune Veneciarum represalie supradicte; nec non de omnibus iuribus et actionibus sibi et dictis quorum procurator est competentibus pro ipsis et in ipsis represaliis quoquomodo; ita ut admodo dictum comune Veneciarum ipsis omnibus et singulis iuribus et actionibus possit tam contra ipsum ser Marcum Baseio quam contra quoslibet alios qui ad hoc tenerentur et eorum heredes et bona agere, experiri, excipere, replicare consequi et se tueri ac petere, prout dicti Tomaynus et reliqui quorum procurator est poterunt aut possent, Constituens suo et predictorum nomine, dictum comune Veneciarum procuratorem ut in rem suam; ita ut in omne locum et ius sit et succedit eorum et cuiusque ipsorum; ac paciscens et conveniens quod nulli alii ipse vel predicti quorum procurator est seu aliquis eorum cessit vel vendidit seu alienavit iura et actiones predictas: et quod ad ipsum Tomaynum et predictos quorum procuratorem est et non ad alios pertinet totaliter hereditas et successio dicti quondam domini Jacobi de Fontana et negotium supradictum.

Quam venditionem cessionem traditionem et datum et omnia et singula in hoc instrumento contenta promisit suo nomine et quo supra firma et rata habere et tenere et non contrafacere vel venire de iure vel de facto per se vel per alium, in pena et sub pena dupli quantitatis predictae solemni stipulatione premissa; que pena etc. hoc acto et expresse dato quod dictus Tomaynus et alii quorum procurator est non teneantur de evitione vel de-